

Gostkowski Michaëlis Albert.: Conclusiones Iuris utriusque de iustitia et iure —

7404 Pravo.

D. O. M. A.

CONCLVSIONES IVRIS VTRIVSQVE.

Ex can: Ius. 1. Dist: & L. 1. ff.

DE IVSTITIA ET IVRE.

Iuncto §. 1. Instit: eod. & sequen.

QVAS

Sub Præsidio Consultissimi & Clarissimi Viri Domini,

D. M. STANISLAI POMORSKI I. V. Ordinarij Professoris Collegæ DD. Iureconsultorum Augustissimi Collegij Vniuersitatis Crac: In Collegio Lubransciano Studij Academici pro tunc DIRECTORIS.

Proponet ad Disputandum

MICHAEL ALBERTVS GOSTKOWSKI I. V. CANdidatus, Præpositus S. Spiritus in Mieyska Gorka in Lectorio DD. Iurisp. Mense Die Hora.

POSNANIÆ,

In Officina Ioannis Rossowski, Anno 1 6 2 2.

In Arma antiquissimæ Familiæ Włostouiorum.



Hic mihi de rutilo esse aries censetur Olympo,
Quo Wlostouiacus Stemmate fulget honos.
Nam velut ille facit florentia tempora veris:
Vernat & hæc magno semper honore domus.

Stanislaus Pruski
Stud. Poës.

Illustri & Magnifico Domino,

D. VENCESLAO WŁOSTOWSKI CASTELLANO

Kriuinensi dignissimo Domino & Mecœnati suo colendissimo.

P. F. P.



DE Ariete, Illustr: & Magnifice Domine, cuius etiam imaginem Vestra inclyta vetusquè Familia pro symbolo accepit, varij varia memoriæ prodiderunt. Higinus cum Mythicis tradunt Phryxum Athamantis Thebanorum Imperatoris filium, insidias nouercales fugientem Colchos in ariete aurei velleris cōmigrasse, eumq; Ioui traduci in signum gratitudinis immolasse, atq; adeo arietem ab ipso Ioue inter sidera cœlestia relatum, primum inter signa Zodiaci locum obtinuisse. Herodotus in Polymnia ait eundem Phryxum dum Colchos nauigaret, propter laboris diuturnitatem, & itineris longitudinem in promontorio Brixaba conquieuisse: imminentibus verò illius exitio piratis ab hoc ariete excitatum fuisse, atq; ita Colchos incolumem peruenisse. Alij qui non ita procul ætate ab Herodoto recesserunt, inter quos fuit Didymus, dixerunt Phryxo ad eligendum pulcerrimam in sacrificium victimam, misso Iouis consilio arietem locutum fuisse, atq; omnes nouercæ insidias patefecisse. Quare ille incolumitati suæ prospiciendo, tergori arietis insidens, in remotas se transtulit regiones, ac Dijs postmodum apud fluuium Phasim illum arietem, vt mater sibi significauerat immolauit. Inter has dissentientes Authorum sententias; duo sunt in quibus omnes consentiunt. Alterum est, quòd agnus ille aureo vellere præditus fuerit; alterum quòd Iouis munere primum inter duodecim signa cœlestia locum acceperit. Hoc idem signum æquinoctiale & regale appellatur, à Græcis verò Kriòs dicitur, quia vbi Sol eius punctum attigerit, inter diem & noctem iudicium quodam modo facit, eosq; in duas partes æquales dispescit, atq; verno tempori ianuam aperit: Ver enim initium accipit Sole in arietem ingresso, vt Author est Firmicus Maternus, & omnes ferè qui orbium cœlestium conuersiones speculantur. Sed

quorium iste plusquam sufficiens sermo de ariete? Nempè vt rationes instituti mei faciliori viâ in propatulum exeant. Est mihi Illustr: & Magnifice Domine certamen propositum cum nouerca scientiarum ignorantiâ, multas video technas, multas insidias, quibus me circumuenire conatur. Quocirca ad Arietem Tuum confugio, simulq; auxilium exposco, vt illius opera in portum tranquillum deuenire possim. Potuit vt ingeniosa vetustas finxit Phryxus in ariete nouercæ insidias effugere: Spem & ego magnam habeo me sub Illustr. & Celeberrimæ Familiæ Vestræ signo hanc dimicationẽ feliciter confecturum. Neq; enim is sum, qui velim in his de ariete figmentis veritatẽ Historicam requirere, arcana sunt omnia apud Pöetas, & à sensu imperitæ multitudinis remota; sed tamen incredibili artificio aut mores hominum, ad optimam viuendi regulam dirigunt, aut facta virtutesq; Illustrium Heroum sub inuolucrum tegumento ad euitandos inuidiæ morsus celebrant. Itaq; & in præsenti negotio, Virum mihi videntur iustum, prudentem, & magnanimum, in hac de Phryxo narratione depinxisse. Quandoquidem in Ægyptiorum Hieroglyphicis omnes istæ virtutes sub effigie arietis intelligebantur, & ratio ipsa vnicuiq; idem ostendere manifestè videtur. Quis enim tàm credulus est? qui perlectâ hac de homine nouercales insidias fugiente historiâ actutùm illũ arietem tanquã equum conscendisse, & nõ potius prudentiæ adiumento vsum fuisse credat? siquidem nulli Pegasi aut Cillari ita sunt ad euitandas insidias, quàm vnius prudentiæ lumen idonei. Quis item est tàm hebes qui non animaduertat per cornua arietis fortitudinem significari? Per illud verò quòd iudicium inter diem & noctem faciat, inq; duas partes æquales diuidat, iustitiam. In cœlum deniq; relatum esse arietem, quis aliter interpretari velit? quàm hominibus iustitiâ, magnanimitate, prudentiâq; excellentibus, qui patriam huiuscemodi virtutibus adiuuerint, auxerint, ornauerint, certam esse ac definitam in cœlo sedem, vbi beati æuo sempiterno perfruuntur. Atq; ego Illustr. & Magnifice Domine non aliam ob causam Vestræ Nobilissimæ Familiæ arietem esse pro stemmate donatum arbitror; nisi quia istis virtutibus singulari quadam ratione in Rep. clarescebat, quemadmodum etiamnum cum magna Patriæ consolatione claret. Quamobrem cum meos quoq; conatus in defendendis istis virtutibus vides, Beneuolentiæ Tuæ scuto protegere velis. Hac ratione & Academiam Tuo Amplissimo nomini addictissimam, & parentem meum carissimum, quem semper eximio fauore & beneuolentia prosequutus es, recreabis.

Vest. Ill. Cel. addict.

MICH. ALB. GOSTK.
I. V. Cand.

CONCLVSIONES

IVRIS VTRIVSQVE.

Ex can. Ius: 1. Dist. L. 1. ff.

DE IVSTITIA ET IVRE.

Iunct. §. 1. Instit. eodem & sequent.

CONCLVSIO I.



IVstitia est dicta, quasi vim sistat, vel, vt alij, quasi Ius sistat. aut vt Isidorus, in c. forus, Ext. de verb. signif. quasi Iuris status, eo quòd in ea Ius stet.

II.

IVstitia est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi. l. iustitia, ff. eod.

III.

HVmana Iustitia, de qua nos hic agimus, ad mentem sapientum, diuiditur in vniuersalem & particularem. Vniuersalis est, quæ omnes in se virtutes complectitur, de qua Philosophus. Particularis est, Ciuilis & Politica quædam, quæ IC. propria est, & hæc à DD. nostris diuiditur in distributiuam, & commutatiuam.

IIII.

DIstributiuâ vtimur in honoribus, pœnis, muneribus, & alijs id genus, in quorũ distributione personarum, & rerũ, qualitas attenditur, secundùm proportionem Geometricam. Commutatiuam adhibemus in contrahendis vltrò citroque negotijs, in quibus nulla gradus, aut personarum ratio habetur, sed res rei simpliciter confertur. idque seruatâ proportione Arithmetica.

V.

IVs est ars boni, & æqui, hoc est, exercitium boni & æqui viri, in colenda Iustitia. In iure enim, veluti in quodam Sacro Iustitiæ templo versamur.

VI.

VTrum Iurisprudentia sit diuinarum, atque humanarum rerum notitia, iusti, atque iniusti scientia. Problema facio.

VII.

IVstitia vult vnicuiquè suum tribuere: Ius coadiuuat, & Iurisprudentia docet, qualiter illud fiat. Ad mentem Accursij.

VIII.

IVris præcepta sunt tria. Honestè viuere; Neminem lædere; Ius suum vnicuiq; tribuere. l. iustitia § 1. ff. eodem.

dem. Ex his tribus præceptis, tanquam ex tribus fontibus omnes leges emanant.

IX.

IVrisprudentia tradenda est à principio leui, & simplici via, & postea diligentissimâ, ac exactissimâ interpretatione. Et hoc, ne studiosus varietate rerum oneratus studia deserat, multos enim diffidentia ab huiusmodi studio, plurimum auertere solet. Hinc refert Faber quatuor esse hostes, qui Scholasticum iuuenem impugnant. Timor difficultatis, terror prolixitatis, pauor aduersitatis, & tremor instabilitatis. Primus impugnatur magnificentia & magnanimitate. Secundus conteritur fiducia & securitate. Tertius sustinetur patientiâ. Quartus repellitur perseuerantiâ.

X.

PRimum præceptum honeste viuendi, propriè ad mores pertinet, vt omnes nostræ actiones ita instituantur, quemadmodum ratio suadet, & ne quid contra honestatem faciamus, sed semper non solum quod licet, sed etiam quod honestum est, spectemus. l. non omne. & l. semper ff. de reg. Iur. in fine.

XI.

SEcundum præceptum pertinet, ad conseruationem humanæ societatis, ne alter alterum offendat. Quæ verba licet ad corpus videantur referri, tamen intelligun-

tur de quacunque offenſione, ſiue in corpore, ſiue in fama, ſiue in bonis facta ſit. Nam fama & vita æquiparantur. Et bona, altera hominis vita cenſentur, ita Gl. & D d. in l. aduocati. verb. vitam C. de aduocat. diuerſ. iudic.

XII.

QVi dolo & ex propoſito alterum occidunt, ſupplicio capitis vltore gladio proſtrati feriuntur, & hoc ſiue armis fecerint, ſiue veneno, ſiue per maleficia, ſiue miniſterio linguæ: vt cumquis præmijs corruptus, iniuſtè aliquẽ ad mortem condemnat. l. Lex Iul. 3. § final. ff. ad L. Iul. repetund: vel falſo teſtimonio ad mortis condemnationem adigit. l. 1. ff. ad L. Cor: de Sicarijs.

XIII.

QVi libellum ſiue carmen ad infamiam alicuius componunt capitis pœna puniuntur, non ipſi tantum, ſed etiam quicunque eum libellum inueniens, manifeſtauerit, l. vn. C. de famoſis libell.

XIV.

QVi furto alterius res auferunt, ex conſuetudine orbis totius recepta, vltimo ſupplicio damnantur. Tot Rubr: ff. & C. de furtis.

XV.

Offen-

OFfensio non solum alterius, sed nec etiam suiipsius licita est, quia praeceptum illud diuinæ legis, Non occides, se ipsum occidentem comprehendit. Can. si non licet 23 q. 5. Et ratio est, quia nemo est dominus mēbrorum suorum, & non maius ius in proprium, quàm in alterius corpus quisq; habet l. liber homo ff. ad Leg. Aquil.

XVI.

TErtium præceptum pertinet, tam ad distributiuam, quàm ad commutatiuam iustitiam, & sic tam personas quàm res respicit. Distributiua versatur circa distributionem pœnarum & præmiorum, proportione Geometrica. Commutatiua pertinet ad æqualitatem seruandam in contractibus, & commutatione rerum proportione Arithmetica.

XVII.

IVs duplex; publicum, & priuatum. Publicum principaliter spectat ad statum Reipub. Rom. Priuatum ad singulorum vtilitatem refertur l. 1. §. huius studij ff. eod.

XVIII.

PRiuatum Ius collectum est, ex præceptis aut Naturalibus, aut Gentium, aut Ciuilibus, Atque sic Ius est triplex, Naturale, Gentium, & Ciuile.

XIX.

IVs naturale est, quod natura omnia animalia docuit. &

 homi-

hominibus cum brutis commune est l. 1. ff. eod.

XX.

IVris Naturalis effectus sunt tres[1] Maris & fœminæ cōiunctio quatenus instinctu naturæ feruntur[2] Liberorū procreatio. Nihil enim teste Arist. 2. de Anima, magis nos natura docuit, quam generare & procreare, aliud nobis simile in specie, vt immortalitatem, quam in indiuiduo non possumus, saltem in specie conseruemus: cum autem non omnis maris & fœminæ coniunctio licita sit, quoad homines l. semper in coniunctionibus ff. de Reg. Iuris Matrimonium est introductum. [3] Educatio, ad quam quodlibet animal naturalis stimulus hortatur, & voti paterni est, liberis parare, & locupletare eos.

XXI.

IVs gentium est, quod apud omnes æqualiter custoditur, & obseruatur.

XXII.

EFfectus Iuris gentium sunt, Religio erga Deum, pietas erga Parentes, defensio suiipsius, l. vt vim vi. ff. eod. Quod autem lege permittente fit, rectè fit, nec pœnam meretur, l. Gracchus C. Ad L. Iul: de adult. Dum modo defensio sit cum moderamine inculpatæ tutelæ. Bella ad puniendos sontes, ad defensionem personarum, captiuitates, manumissio, dominiorum distinctio, omnes ferè contractus & obligationes (exceptis quatuor qui à Iure

Ciuili

Ciuili ortum ducunt ſtipulatio, literarum obligatio, donatio propter nuptias,& contractus Emphyteuticus) pacta conuenta ſeruare, nihil enim tam congruum fidei humanæ eſt, quam ea quæ placuerunt inter nos conſeruare. l. 1. ff. de pactis. Hinc refert Baldus Ariſtotelem monuiſſe Alexandrum, vt promiſſa ſeruaret, alias malum finem ſecuturum eſſe. Ad extremum Legatorum non violandorum religio. can: Ius gen. 1. Diſt.

XXIII.

IVs Ciuile, ſeu poſitiuum eſt: quod quiſq; populus ſibi conſtituit. Hinc Ius Ciu: Rom. quo nos omnes ſubiecti Romanæ Eccleſiæ vtimur.

XXIV.

IVs Ciuile eſt duplex, Scriptum & non ſcriptum. Scripti ſpecies ſunt, ſex. LEX. PLEBISCITVM. SENATVSCON: PRÆTORVM EDICTA: PRINCIPVM PLACITA: RESPONSA PRVDENTVM.

XXV.

NOn ſcriptum Conſuetudo. mores enim diuturni conſenſu vtentium comprobati, legem immitantur. Can: conſuet: 1. diſt.

